



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Argumentvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

enim montes in colles delinere. Quarta ratio, cur orationes odoramentis comparantur, ea est: quia sicut odores sunt gratissimi; ita orationes iustorum gratissimæ sunt Deo, & Angelis. Quam ob causam Angeli non cessant eiusmodi odores è terra in cælum, quasi aromata deferre, vt videlicet earum afflatu suavissimo in cælo serereent, Deumque eiusmodi thure venerentur, hoc enim mysterium Raphaël Angelus Tobix declarauit, cum dixit: *Quando orabas cum lachrymis, ego obruli orationem tuam Domino.* Quò pertinet illud, quò de Noë sacrificio Gen. 8. refertur. *Odoratusque est Dominus odorem suauitatis.* Et illud quod sæpe in Leuitico dicitur: *Oblatio est suauissimi odoris Domino.* Postremò obseruandum est, viginti quatuor seniores non solum citharas, sed phialas etiam habuisse aureas plenas odoramentorum, quia non est satis exterius Dei laudes decantare, nisi etiam cor ipsum interius plenum sit odoramentorum, id est, orationum feruentium suauissimique odoris. Non desunt verò quamplurimi in Ecclesia, qui cum habeant pulcherrimas citharas, easque numerosè pullent, id est, Dei laudes non solum modulatè concinant, sed aliis etiam eleganter prædicant: phialis tamen aureis plenis odoramentorum carent, id est, interna cordis deuotione, quæ potissima est spiritalis citharædi conditio.

Tob. 12. 12.
Gen. 8. 21.

Non satis est
exterius Dei
laudes can-
tare.

ARGUMENTVM.

Persequitur Ioannes visionem secundam, commemorans quomodo Agnus septem illa libri sigilla resignauerit; & quidnam illis apertis apparuerit. Atque hoc capite sex sigilla resignata commemorantur, quibus apertis admiranda quedam, quæ latebant in libro, visa sunt. Etenim aperto primo sigillo apparuit equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, dataque est ei corona. Aperto secundo, exiit equus rufus, & ei qui insidebat equo, datus est gladius magnus. Aperto tertio, apparuit equus niger, & qui sedebat super eum habebat stateram in manu sua. Aperto quarto, visus est equus pallidus, & qui sedebat super eum nomen illi Mors, & infernus sequebatur eum. Aperto quinto, apparuerunt subitus altare animæ intersectorum propter Verbum Dei. Aperto sexto, factus est tremotus quidam magnus, & sol factus est niger tanquam saccus cilicenus, & luna sicut sanguis, & stella de cæla in terram ceciderunt, quamplurimæque alia visu mirabilia apparuerunt, quæ postea sigillatim explicabimus. Atque hæc sunt, quæ per imaginariam visionem hoc capite à Ioanne commemorantur.

CAPVT SEXTVM.



T vidi quod aperuisset Agnus vnum de septem sigillis, & audiui vnum de quatuor animalibus dicens; tanquam vocem tonitruui: Veni, & vide. Et vidi: Et ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exiit vincens, vt vinceret. Et cum aperuisset sigillum secundum,